





LIMANA

Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis serui Dei Fratris FRANCISCI SOLANI Ord. Min. Obseru. S. Frācisci.

HAbita Congregatione generali Sac. Rituum coram Santissimo D. N. D. Clemente Papa X. die 25. Septembris proximè præteriti eadem S. Congregatio declarauit tutò deueniri posse ad solemnem Canonizationem prædicti serui Dei Fr. Francisci Solani; interim veró indulgeri, vt Beatus nuncupetur; & cū Officio & Missa de Communi Conf. non Pont. iuxta rubricas Missalis, & Breuiarij Romani dies eius obitus in proximam non impeditam transferenda quotannis piè recolatur, & alias latius prout in dicto Decreto ad quod &c. & tale Decretum Sanctitas sua expediri mandauit die 6. Octobris proximé elapsi; Nunc veró idem Sanctissimus assignavit diem 30. Iunij proximè venturi pro peragenda solemni Beatificatione dicti Vener. Servi Dei in Sacrosancta Basilica Principis Apostolorum S. Petri de Vrbe, & litteras in forma Brevis vigore prænominati Decreti expediri iussit. Hac die 29. Decembris 1674.

V. Episc. Tusculanus Card. Carpineus.

Bernardinus Casalius Sacr. Rit. Congr. Secr.

ROMÆ, Ex Typographia Reverendę Camerę Apostolicæ. M.DC.LXXV.

CLEMENS PAPA X.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

QVEMADMODVM Cœleſtis Imperator, & Magiſter Noſter Chriſtus Ieſus, qui ſedet ad dexteram Maieſtatis in excelſis, egregiè functos militia ſuper terram pugiles ſuos, qui virtute ex alto induti, & ſpiritu facta carnis mortificantes, non ſolum voluntatem ſuam, cum omnibus concupiſcentijs crucifixam Deo in holocauſtum obtulerunt in odorem ſuauitatis, ſed etiam luculentas de impietate victorias reportare, & gentes quæ Deum nõ nouerant ad veritatis agnitionem, ac viam ſalutis adducere meruerunt, perennis gloriæ corona donat in Cœlis, ita & Nos, qui eius vices, licet immeriti, in hac terrena ſtatione gerimus, Magiſtri noſtri veſtigijs, quantùm noſtra fert infirmitas, inhærentes, illorum cultum, & venerationem in terris promovere ſtudemus, ſicut ad divinæ maieſtatis gloriam, ad eius Eccleſiæ præſidium, ad ædificationem fidelium, & animarum ſalutem cognoſcimus in Domino expedire. Cùm itaque maturè, diligenterque diſcuſsis, atque perpenſis per Congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum proceſsibus de Apoſtolicæ Sedis licentia confectis ſuper vitæ Sanctitate, & virtutibus, tàm Theologicis, quàm Moralibus in gradu heroico, quibus Seruus Dei Franciſcus Solanus Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum profeſſor multipliciter claruiſſet, necnon miraculis, quæ ad eius interceſsionem, ac ad manifeſtandam mundo illius Sanctitatem á Deo patrata fuiſſe aſſerebantur, eadem Congregatio coram Nobis cõſtituta, auditis etiam Conſultorum ſuffragijs, vnanimiter cenſuerit, poſſe, quandocunque Nobis videretur, ad ſolemnem eiuſdem Serui Dei Canonizationem tutò deveniri, interim veró indulgeri, vt in toto Terrarum Orbe Beatus nuncupetur. Hinc eſt, quòd Nos pijs, atque enixis Chariſsimi in Chriſto Filij noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici, ac Chariſsimæ in Chriſto Filiæ noſtræ Marianæ earundem Hiſpa-

paniarum Reginæ Catholicæ viduæ eius genitricis, necnon totius Ordinis præfati supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis benignè inclinati, de præfatorum Cardinalium consilio, & vnanimi assensu auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, vt memoratus Dei Seruus Franciscus Solanus in posterum Beati nomine nuncupetur, eiusque Corpus, & reliquię venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur; Imagines quoque radijs, seù splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die prima non impedita post diem fœlicis eius obitus recitetur Officium, & Missa celebretur de Confessore non Pontifice iuxta Rubricas Breuiarij, & Missalis Romani. Porró recitationem Officij, & Missæ celebrationem huiusmodi fieri cōcedimus in locis dumtaxat infrascriptis, videlicet, in Oppido Montiliæ, in quo dictus Seruus Dei natus est, in Ciuitate Limana, vnde ad Cœlos euolauit, & vbi venerabile eius Corpus requiescit, ac in Prouincia Thecumana, in quam Catholicæ fidei nouá semina fœliciter inuexit, ab omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, tám Sæcularibus, quám Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, necnon in toto Ordine præfato tám Fratrum, quàm Monialium, & quantùm ad Missas attinet etiam à Sacerdotibus ad Ecclesias eiusdem Ordinis confluentibus. Prætereá primo dumtaxat anno á datis hisce litteris, & quoad Indias à die quo eædem litteræ illuc peruenerint, inchoando in Ecclesijs oppidi, & Ciuitatis, ac Provincię, & Ordinis præfatorum respectivé solemnia Beatificationis eiusdem Serui Dei cum Officio, & Missa sub ritu duplici maiori, die ab Ordinarijs rèspectiuè constituta; & intra sex menses promulganda, postquam tamen in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe celebrata fuerint eadem solemnia, quam ad rem diem xxx. Iunij proximè venturi assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem. Non obstātibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac decretis de nō cultu editis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt earundem præsentium litterarum transumptis, seù exemplis etiam impressis manu Secretarij prædictæ Cōgregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo Præfecti eiusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & vbique, tàm in iudicio, quám extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris. Die xxv. Ianuarij M.DC.LXXV. Pontificatus nostri anno quinto.

I.G. Slusius.

ROMÆ, Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.
M. DC. LXXV.

In Nomine Domini. Amen.

PRÆSENTI publico Inſtrumento cunctis vbiqué pateat euidẽtèr,& ſit notum,quod anno á Natiuitate Domini Noſtri JESV Chriſti milleſimo ſexcẽteſimo ſeptuageſimo quinto,Indictione decima tertia, die veró trigeſima menſis Iunij, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini CLEMENTIS diuina prouidentia Papæ Decimi anno ſexto. Cúm diligentér, maturé que diſcuſſis per Congregationem Eminentiſſimorũ,& Reuerendiſſimorum Dominorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum proceſſibus authoritate Apoſtolica, & in executionem ſpecialis commiſſionis manu Sanctiſſimi ſignatæ, validé, & legitimé peractis ſuper Sanctitate vitæ, & virtutibus tám Theologicis, quám moralibus Venerabilis Serui Dei Franciſci Solani Ordinis fratum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum Profeſſoris; nec non Miraculis ad eius Interceſſionem ab Omnipotenti Deo patratis, aliâs fuerint dictæ virtutes approbatæ in gradu heroico, & demúm eadem Sacra Congregatio coram Sanctiſſimo Domino Noſtro Domino CLEMENTE Papa Decimo conſtituta die vigeſima quinta Septembris proximé præteriti, auditis etiam Illuſtriſſimorum Conſultorum ſuffragijs, paritér approbauerit duo Miracula, vt ſuprá ad Interceſſionem dicti Serui Dei patrata,& cenſuerit poſſe quandocunque eidem Sanctiſſimo videretur, ad ſolemnem eiuſdem Serui Dei Canonizationem tutó deueniri, interim verò indulgeri, vt in todo Terrarum Orbe Beatus nuncupetur, idemque Sanctiſſimus ad pias, humileſqué ſupplicationes Maieſtatis Catholicæ Caroli Hiſpaniarum Regis, ac Marianæ earũdem Hiſpaniarum Reginæ Catholicæ Viduæ eius genitricis, nec non totius Ordinis præfati, de conſilio, vnanimique aſſenſu dictorum Eminentiſſimorum & Reuerendiſſimorum Dominorum Cardinalium dictis Sacris Ritibus præpoſitorum Apoſtolica authoritate indulſerit, vt prædictus Dei Seruus Franciſcus Solanus in poſterum Beati nomine nuncupetur, eiuſquê corpus, & reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in proceſſionibus circumferenda) exponantur, Imagines quoqué radijs, ſeú ſplendoribus exornentur, at de eo quotannis die prima non impedita poſt diem fœlicis eius obitus recitetur Officium, & Miſſa celebretur de Confeſſore non Pontifice, iuxtá rubricas Breuiarij & Miſſalis Romani, facultatem que etiam benigné conceſſerit celebrandi ſolemnia Beatificationis eiuſdem Serui Dei cum Officio, & Miſſa ſub ritu duplici intrà certa tempora, & certis in locis, poſtquàm tamen in Baſilica Principis Apoſtolorum de Vrbe fuerint eadem ſolemnia celebrata, quam ad rem præſentem diem trigeſimam menſis Iunij aſſignauit, vt latiús ex litteris Apoſtolicis datis Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Anulo Piſcatoris die vigeſima quinta Ianuarij proximé præteriti,

riti,ad quas condigna relatio habeatur. Cumque omnia, quæ ad solemnia dictæ Beatificationis in præfata Basilica necessaria visa sunt, diligenti opera & cura R.P. Fratris Ioannis de SanctoDidaco Villalon eiusdem Ordinis, causæqué Beatificationis, & Canonizationis dicti Serui Dei Procuratoris parata fuerint, & præsertim in extrinseca maximi & augustissimi Templi facie infixa effigies dicti Serui Dei, totumque Templum prædictum conuestitum sericis paramentis purpurei coloris cum corrigijs aureis,ac alia tabula pariter cum effigie depicta dicti Serui Dei aptata suprà Altare dicatum Cathedræ Sancti Petri, Cruce, & candelabris argenteis inauratis,alijsque paramentis prætiosis ornatum, & ibi ab vtroque dicti Altaris latere composita sedilia,à dextera scilicét pro dictis Eminentissimis, & Reuerendissimis Dominis Cardinalibus dictorum Sacrorum Rituum Congregationi Præpositis; acIllustrissimis Dominis eiusdem Sacræ Congregationis Prælatis,&Consultoribus, à sinistra verò pro Eminentissimo, & Reuerendissimo Domino Cardinali Archipresbytero, Illustrissimis, & Reuerendissimis Dominis eius Vicario, & Canonicis dictæ Basilicæ, pluresqué alij demissiorum Scamnorum Ordines pro reliquo eiusdem Basilicæ Clero, nobilibusqué Viris consistentibus,ac dicti Ordinis Religiosis, nec non quamplurimi Cerei,seú candelæ tám in Altare,in quo asseruantur Reliquiæ Sanctorum Apostolorum Petri,& Pauli super aureis, quám in singulis alijs Altaribus dictæ Basilicę super æneis candelabris impositi; & quatuor Musicorum Chori cum organis non longè à prædictis sedilibus compositi,ac etiam custodia Militum Heluetiorum ex Cohorte Pontificia ad arcendũ Populi multitudinis impetũ, ego eiusdem Sacrorũ Rituum Congregationis Notarius,Cancellarius,& Archiuista infrascriptus vocatus ad notandum eiusdem Beatificationis solemnia,præmissis omnibus adnotatis,alia quoqué infradicenda fideliter adnotaui videlicét. Accensis,& collucentibus dictis Cereis seú candelis suprà dicta Altaria, vt suprá positis, quamplurimisque nobilibus Viris in Corona dictorum Militum permanentibus, magnaqué vtriusque sexus Populi multitudine extrá coronam eorumdem Militum existente aduenerunt primò Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini Albicius, & alij Cardinales dictæ Sacrorũ Rituum Congregationi Præpositi,ac Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini Prælati, & Consultores eiusdem Sacræ Congregationis,totamque Sacram Cõgregationem præfatam repræsentantes, & eisdem omnibus consedentibus in sedilibus ipsis respectiué paratis, é Sacrario dictæ Basilicæ processionalitér discesserunt; præcedente Cruce,& Acolitis totus Clerus eiusdem Basilicæ, Illustrissimi,& Reuerendissimi Domini Canonici Rocchetto, & superpelliceo induti; Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Suarez olim Episcopus Vasionen. Vicarius Eminentissimi,& Reuerendissimi Domini Archipresbyteri dictæ Basilicæ ac Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Vgolinus Patriarcha Constantinopolitanus dictæqué Basilicæ Canonicus, pluuiali albo indutus cum mitra solemnia celebraturus inter alios duos Canonicos eiusdem Basilicæ cum Dalmaticis; subsequente Eminentissimo, & Reuerendissimo Domino Cardinali Carolo Barberino Archipresbytero, & facta adoratione ad Altare Sanctissimi Sacramenti, effusisque

precibus ante Altare Sanctorum Apostolorũ se se contulerunt ante dictum Altare Cathedræ Sancti Petri dicatum, locum, vt suprà paratum, & destinatum pro dicta solemnitate, prædictisque omnibus loca sua tenentibus cúm duobus Basilicæ prædictæ Cæremoniarum Magistris, Illustrissimus & Reuerendissimus Dominus Bernardinus Casalius præfatæ Sacræ Congregationis Secretarius é loco suo se mouens, accessit ad standum é latere dicti Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini Cardinalis Albicij, & eodem tempore coram Eminentia sua, alijsqué Eminentissimis, & Reuerendissimis Dominis Cardinalibus dictæ Sacræ Congregrationis, constitutus Reuerendissimus Pater Frater Franciscus Maria â Bononia totius Ordinis præfati Minister Generalis, ac vnus ex dictæ Sacræ Congregationis Consultoribus, qui habens præ manibus litteras Apostolicas prædictas in forma Breuis, vt suprâ expeditas, illasque dictæ Sacræ Congregationi debita reuerentia præsentans, ac perorans instetit, vt sequitur, videlicët, Eminentissime, & Reuerendissime Domine. Cúm Sacrorũ Rituum Congregatio approbauerit Miracula pro Beatificatione Venerabilis Serui Dei Fratris Francisci Solani, quondam mei Seraphici Instituti Professoris, solemni actu ineũdo sufficientia, Sanctissimus Dominus Noster pro sua in augendo Dei cultu vigilantia, atque pietate iussit expediri hoc Breue, quo eidem Seruo Dei solemnis Beatificationis dies assignatur hæc trigesima Iunij, proindë ego tanquàm Minister Generalis totius Ordinis Seraphici, tàm in eo, quàm præfati Ordinis nomine, Eminentiam Vestram, ceterosque Eminentissimos & Reuerendissimos Patres Dominos meos humillimë deprecor, vt memoratum Breue publicari, atque executioni demandari, iuxtá pijssimam Sanctitatis suæ mentem iubere dignentur. Quò maiori Dei gloriæ, & Sanctæ Sedis exaltationi, nec non magno Religionis meæ decori consulatur, atque Indorum noui Orbis, qui præfatum Dei Seruum in principijs nostræ Sanctæ Fidei habuere Magistrum Spirituali solamini, & ædificationi prospiciatur. Huiusmodique oratione, ac instantia completa, dicti Eminentissimi Domini Sacræ Congregationis præfatæ Cardinales, receptis pro ea per dictum Eminentissimum Dominum Cardinalem Albicium litteris Apostolicis prædictis eisque repertis illæsis, nulloque modo suspectis, illas admiserũt ac publicari, dictaque solemnia celebrari, & alia desuper necessaria, & opportuna ad earundem litterarum formam fieri mandarunt, dictoque Reuerendissimo Patre Ministro Generali indé recedente, redditis tamen priús debitis gratijs, maiori, qua potuit, reuerentia, prædictus Eminentissimus Dominus Albitius, alijs annuentibus, consignauit dicto Illustrissimo D. Casalio Secretario præfatas litteras Apostolicas ad effectum deferendi cúm relatione præcedentis instantiæ dicti Reuerendissimi Patris Ministri Generalis, omniumque ab Eminentia sua, & alijs Eminentissimis Dominis Cardinalibus dictæ Sacræ Congregationis, vt suprá mandatorum ad dictum Eminentissimum Dominum Cardinalem Barberinum dictæ Basilicæ Archipresbyterum é conspectu sedentem, prout illæ per dictum Illustrissimũ, & Reuerendissimum D. Casalium incontinenti delatæ fuerũt, quas idem Eminentissimus D. Archipresbyter debita cum reuerentia recepit, & vidit, vnique ex dictis Domi-

minis Cæremoniarum Magistris dedit, & mandauit per Mansionarium Archiuistam eiusdem Basilicæ palám, & publicé perlegi, prout dictus Archiuista easdem litteras suis præ manibus receptas, porrecto tamen mihi Notario ibidem asśistenti per dictum R.P. Fratrem Ioannem de Sancto Didaco Villalon causæ præfatæ Procuratorem similiter ibidem præsentem, & asśistentem, illarum Transumpto impresso, sigillo Eminentisśimi, & Reuerendisśimi Domini Cardinalis Carpinei dictæ Sacræ Congregationis Præfecti munito, ac per dictum Illustrisśimum, & Reuerendisśimum Dominum Casalium Secretarium subscriptó, me que illud præ manibus tenente, & auscultáte idem Mansionarius Archiuista, parendo mandatis prædictis conscenso suggesto ad hunc effectum parato, de verbo ad verbum, alta, & intelligibili voce, perlegit, ac publicauit, & è suggesto descendens, retento paritér penes se simili transumpto, eidem Patri Ioanni Procuratori adhuc præsenti, & recipienti restituit tenoris sequentis, videlicet. CLEMENS PAPA DECIMVS Ad perpetuam rei memoriam. Quemadmodúm Cœlestis Imperator, & Magister noster Christus IESVS, qui sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis, ægregiê functis Militia super terram pugiles suos, qui virtute ex alto induti, & Spiritu facta carnis mortificantes, non solúm voluntatem suá cum omnibus concupiscentijs crucifixam Deo in holocaustum obtulerunt in odorem suauitatis, sed etiam luculentas de impietate victorias reportare, & gentes, quæ Deum non nouerant, ad veritatis agnitionem, vel viam salutis adducere meruerunt, perennis gloriæ coroná donat in Cœlis, itá, & nos, qui eius vices, licet immeriti in hac terrena statione gerimus, Magistri nostri vestigijs, quantum nostra fert infirmitas, inhærentes, illorum cultum, & venerationem in terris promouere studemus, sicut ad Diuinæ Maiestatis gloriam, ad eius Ecclesiæ præsidium, ad ædificationem fidelium, & animarum salutem cognoscimus in Domino expedire Cúm itaque maturé diligenterque discusśis, atque perpensis per Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum Procesśibus de Apostolicæ Sedis licentia confectis super vitæ Sanctitate, & virtutibus tám Theologicis, quám moralibus in gradu heroico, quibus Serúus Dei Franciscus Solanus Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Obseruantia nuncupatorum Professor multipliciter claruisse, nec non Miraculis, quæ ad eius Intercesśionem, & ad manifestandam mundo illius Sanctitatem á Deo patrata fuisse asserebantur, eadem Cógregatio coram nobis constituta, auditis etiam Consultorum suffragijs vnanimiter censuerit posse, quandocumque nobis videretur, ad solemnem eiusdem Serui Dei canonizationem tutó deueniri, interim veró indulgeri, vt in toto Terrarum Orbe Beatus nuncupetur. Hinc est, quod Nos pijs, atque enixis Charisśimi in Christo filij nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici, ac Charisśimæ in Christo filiæ Marianæ earundem Hispaniarum Reginæ Catholicæ Viduæ eius genitricis, nec non totius Ordinis præfati supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis benignè inclinati, de præfatorum Cardinalium Consilio, & vnanimi assensu auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, vt memoratus Dei Seruus Fráciscus Solanus in posterum Beati nomine núcupetur, eiusque corpus, & re-

liquiæ

liquiæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur, Imagines quoque radijs, seu spendoribus exornentur, & de eo quotannis die prima non impedita post diem fœlicis eius obitus recitetur Officium, & Missa celebretur de Confessore non Pontifice, iuxtà rubricas Breuiarij, & Missalis Romani. Porró recitationem Officij, & Missæ celebrationem huiusmodi fieri concedimus in locis duntaxat infrascriptis, videlicet in oppido Montiliæ, in quo dictus Seruus Dei natus est, in Ciuitate. Limana, vndè ad Cælos euolauit, & vbi venerabile eius corpus requiescit, ac in Prouincia. Thecumana, in quam Catholicæ Fidei noua semina fœliciter inuexit, ab omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, tã sæcularibus, quám regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, nec non in toto Ordine præfato tam Fratrum, quám Monialium, & quantum ad Missas attinet, etiam à Sacerdotibus ad Ecclesias eiusdem Ordinis confluentibus. Prætereá primo duntaxat anno á datis hisce litteris, & quoad Indias á die, quo eædem litteræ illuc peruenerint, inchoando in Ecclesijs Oppidi, & Ciuitatis, ac Prouinciæ, & Ordinis præfatorum respectiuè solemnia Beatificationis eiusdem Serui Dei cum Officio, & Missa sub ritu duplici maiori, die ab Ordinarijs respectiué constituta, & intrá sex menses promulganda; postquam tamen in Basilica Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia, quam ad rem diem trigesimam Iunij proximé venturi assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem, Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & decretis de non cultu editis; cæterisque contrarijs quibuscumque. Uolumus autem, vt earumdem præsentium litterarum Transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu Secretarij prædictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo Præfecti eiusdem Congregationis munitis, eadem prorsùs fides ab omnibus, & vbique, tam in Iudicio, quàm extrá illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub anulo Piscatoris die vigesima quinta Ianuarij anni millesimi sexcentesimi septuagesimi quinti Pontificatus nostri anno quinto. I. G. Slusius. loco ✝ sigilli. Bernardinus Casalius Sacrorum Rituum Congregationis Secretarius. Romæ ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ 1675. Qua lectione absoluta Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Ugolinus Patriarcha præfatus celebrans, deposita Mitra inchoauit canticum Te Deum Laudamus, reliqua prosequentibus Musicorum Choris, & in ipso Cantici initio, amotis velis sericis, quibus præfatæ Imagines dicti Serui Dei, vt suprà respectiuè existentes contectæ fuerant, idem celebrans, & Ministri ei Assistentes, Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini Cardinales, Prælati, & Consultores prædictæ Sacræ Congregationis, ac Eminentissimus Dominus Archipresbyter, & illius Uicarius, nec non Canonici, & cunctus Clerus, cæterique nobiles Uiri, ac reliqua populi multitudo genibus flexis Imaginem præfatam suprá prædictum Altare Cathedræ collocatam, & existentem deuotissimé venerati sunt, & statim plurimorum tormentorum bellicorum extrà dictam Basilicam paratorum, & positorum strepitus, atque bombus auditus fuit, finitoque dicto Cantico, & per Diaconum Euangelij prolato versiculo *Ora pro nobis Beate Francisce*, habitaque Chori responsione, *Vt digni efficiamur promissionibus Christi*, nec non per ipsum Illustrissimum Dominum celebrantem recitata Oratione propria de dicto Beato, illiusque Ima-

Imagine thurificata, idem Illustrissimus Dominus celebrans cum dictis Assistentibus, Pontificalibus ad Sacrificium indutus, Missam de Confessore non Pontifice solemniter celebrauit, personantibus Organis, & Cantoribus percantantibus, ac Admodùm Reuerendo Patre Fratre Antonio Clauer, alijsque dicti Ordinis Religiosis distribuentibus Imagines dicti Beati, ipsis á dicto Patre Fratre Ioanne Procuratore dictæ Causæ consignatas delineatas, vel impressas, videlicet vnam in serico aureis virgulis circumdatam in grandiorem, & angustiorem formam pro ratione personarum, & alteram in papyro vná cum Transumpto dictarum litterarum Apostolicarum, & libercuio compendij vitæ dicti Beati cuilibet ex Adstantibus Eminentissimis Dominis Cardinalibus, Prælatis, Canonicis, Consultoribus, Nobilibus personis, & alijs de dicto Clero, & itá solemnia Beatificationis dicti Serui Dei Francisci Solani Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Obseruantia nuncupatorum Professoris in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe mane diei præ[dic]tæ celebrata sunt omnia, &c. Super quibus omnibus, & singulis petitū fu[it] á me Notario, Cancellario, & Archiuista Congregationis Sacrorū Rituū [in]frascripto, vt vnum, vel plura, publicū, seú publica cōficerem, atque trader[em] Instrumentum, & Instrumenta, prout opus fuerit, & requisitus ero. Act[um] in Basilica prædicta, & vbi suprá, præsentibus, audientibus, & intelligentibus Admodúm Reuerendo Patre Fratre Stephano Romo Ordinis Sancti Francisci de Obseruantia Prominiſtro Sanctæ Prouinciæ duodecim Apostolorum de Lima, Per Illustri, & Admodúm Reuerendo Domino Dominico de Homine de Toffia Abbatiæ Farfensis, & Per Illustri Domimo Bernardo Gallo Burgen Diœcesis, testibus ad præmissa omnia, & singula vocatis, adhibitis specialiter, atque rogatis.

Ego Iacobus Sassus Sabinus publicus Apostolica auctoritate Notarius in Archiuio Romanæ Curiæ descriptus, ac Sacrorum Rituum Congregationis Notarius Cancellarius, & Archiuista de prædicta solemnitate rogatus, præsens Instrumentū subscripsi, & publicaui, meoque solito signo signaui requisitus, &c.

LIMANA.

Beati Francisci Solani Ordinis Minorum Obseruantiæ Sancti Francisci.

EXPONENTE apud Sanctissimum Dominum Nostrum CLEMENTEM PAPAM DECIMVM Fratre Ioanne á Sancto Didaco de Villalon Postulatore Causæ Beatificationis, & Canonizationis Beati Francisci Solani Ordinis Minorum Obseruantiæ Sancti Francisci, quod festum solemnis Beatificationis dicti Beati iam celebratū in Sacro sancta Vaticana Basilica, Religio Franciscana cupit etiam celebrare pro prima vice hic Romæ in Conuentibus suæ Religionis; ideó Orator prædictus supplicauit pro concessione, vt in hoc

præ-

præſenti anno feſtum præfati Beati celebrari poſsit in Eccleſia Aracæli priuatiuè quoad omnes alios die vigeſima ſecunda menſis Septembris proximè venturi cum ſolita Cappella, & interuentu Collegij Eminentiſsimorum, & Reuerendiſsimorum Dominorum Cardinalium, ac etiam cum octaua. Et Sanctitas ſua gratiam deſuper petitam benignè conceſsit. Die 20. Iulij 1675.

V. Cardinalis Carpineus.

Loco ✠ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

ROMÆ, Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ. M.DC.LXXV.

INVITO

DOmenica 22. de Settembre ſi celebrarà la prima Solenne Feſta del B. Franceſco Solano Minore Oſſeruante nella Chieſa di S. Maria d' Araceli, per Decreto ſpeciali di N. Sig. Papa Clemente Decimo ſpedito il dì 20. Luglio. La mattina del ſopradetto giorno vi ſarà la Capella de gl' Eminentiſs. Cardinali, e per tutta l' Ottaua vi ſarâ ogni giorno Meſſa, e Veſpero in Muſica: la ſera ſi faranno Fuochi, e predicaranno auanti Veſpro in lode del Beato gl' infraſcritti.

PRE

PREDICATORI

Domenica 22. á hore 21.

Il P. Maestro Fontana Rosa Domenicano.

Lunedi 23 á hore 21.

Il Molto Reu. P. Giouanni Risi Chierico Regolare Minore di S. Lorenzo in Lucina.

Martedi 24 á hore 21.

Il Molto Reu. P. Antonio di Caprarola Lettor Giubilato, e Consultor dell'Indice de Minori Osservanti.

Mercordi 25. á hore 21.

Il P. Michel'Angelo Laureti de Chierici Regolari Ministri de gl'Infermi della Madalena, Predicatore di Sua Maestà Cattolica, e Predicatore Annuale di sua Casa.

Giouedi 26. á hore 21.

Il P. Frá Girolamo di S. Carlo Carmelitano Scalzo Lettor di Sacra Teologia alla Madonna Santissima della Vittoria.

Venardi 27. á hore 21.

Il P. Giouanni di Beluedere Predicatore Generale de Capuccini.

Sabato 28. á hore 21.

Il P. Don Gio: Battista Visconti Lettore di Teologia in S. Carlo de Catinari.

Domenica 29. á hore 21.

Il P. Ignatio Sauini Romano Minore Osservante.

E LA

E LA MATTINA VI SARA LA COMMVNIONE GENERALE DISPENSANDOSI LE MEDAGLIE DEL BEATO.

Lunedi 30.

Si esporrá il Santissimo per le Quarant' hore ordinarie.

IN ROMA, Nella Stamperia della Reverenda Camera Apostolica. 1675.

LIMANA

Extensionis Officij, & Missæ Beati FRANCISCI SOLANI Ordinis Minorum S. Francisci de Obseruantia.

SANCTISSIMVS D. N. CLEMENS PAPA X. inhærendo suis litteris in forma Brevis expeditis die 25. Ianuarij proxime præteriti; pro solemni Beatificatione Beati Francisci Solani Ordinis Minorum S. Francisci de Obseruantia, supplicante Fratre Ioanne á Sancto Didaco de Villalon Procuratore causæ Beatificationis, & Canonizationis prædicti Beati; benigne concessit, vt in posterum, etiam, in tota Prouincia Andaluciæ sita in Hispania celebrari possit festum dicti Beati quotannis die eiusdem festivitatis ab omnibus vtriusque sexus, tum Sæcularibus, tum Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, cũ Officio, & Missa de Communi vnius Confessoris non Pontificis iuxta rubricas Breviarij, & Missalis Romani, sicut celebratur in Oppido Montiliæ, in quo dictus Beatus natus est, existeti in eadem Provincia. Hac die 3. Decembris 1675.

V. Cardin. Carpineus.

Bernardinus Casalius Sacr. Rit. Congr. Secr.